

5

dro impetravisse: tributum quod ne persis quidem tulissent pendere ne cogerentur. Hanc profecto immunitatis gloriam deo fert acceptam. Semperq; feret Ciuitas hæc. De gente igitur ac nomine satis dictum. De regione quam in Italia tenuere & eius finibus paucia subiicientur.

**V**ENETIAE Provinciae fines priscis temporibus obscuros ad modum reperio: & incertos. Nam si ex quo primum in hæc loca descendit Antenor uenetum quoq; nomen huic genti inditum est: nihil fere ultra scriptum accipio: q̄ pepulisse Euganeos ad alpes usq;. Sed dextera leuaq; quousq; progressi sint explicitum ab ullo non video. Si uero primi nomen genti dedere galli: non etiam video plus obtinuisse q̄ Veronam usq; Mantuamq;. Siquidem Plinius Gallos Orobios: Bergomum: Comumq; condidisse afferit. Cremonam & Brixia Cenomanos. Mantuam quidem Plinius ad uenetos: Veronam autem ad Euganeos refert. Hæc ab occidente. Ab oriente uero concordant prisci omnes ad Aquileiam usq; fines protendisse Japidibus conterminam: & campestria omnia oppida tenuisse ad Alpium radices ut paulopost dicimus: Montana hinc Retios: hinc Carnos incoluisse. Ut autem longius Venetia extenta non fuerit magnam(ut mihi quidem uidetur) Liuius quinto historiæ libro fidem facit: Dum de Etruscorum potentia narrat: Quos dicit omnia trāspadum loca: excepto Venetorū angulo qui sinū cūcolunt usq; ad alpes tenuisse. Quo sit ut satis mirer unde acceperint nō nulli ex recentioribus: & præsertim Paulus Diaconus lōgobardæ scriptor historiæ: Quiq; eum secuti sunt: Venetiam alterum extendisse caput ad Abdiam: alterum i pannoniam. Neq; enim post ea tempora ex ulla monumentis accipio uenetorum opes tam in immensum excreuisse: ut eos si bi subderent fines. Quinimmo tantis deinceps ea terra est afflictata ex curisionibus barbarorum: ut Satis habuerint eos quos diximus fines tueri. Galliæ quidem cisalpinæ nomen & peruetustum est: & maxime olim patuit: Ut has etiam paludes Vitruvius scriptor inter antiquos nō uulgaris Gallicas appellat. Nec ulla etiam litteris scriptum inuenio: Quo pacto a ueneto nomine Gallicum sit extinctum. Nisi q; Longobardæ scriptores historiæ tradūt: Longobardos postq; eo omni Italiae tractu: qui clauditur alpibus & Apennino: sunt potiti: non Galliæ sed Venetiæ nomen substulisse Longobardiāq; eum appellauisse. Hæc de occidentis Capite Abdiam uersus dicta uelim: Quod autem orientis caput pretendunt in pannoniam: facile fateor me nō satis intelligere: Quo pacto Italiae pars ultra italiam extendatur. Præsertim si Pannonios solos illos dicimus qui accolunt Danubium ultra citraq;. Nam si tota italia clauditur alpibus: